

I T A L I A.

Aborigenes
non fuere
antiquissi-
mi Italiae
incola.

Latio quidem, nedum de universa Italia vere affirmari potuit. Siquidem ex Latio Aborigenes, Graecae originis gens, expulere Siculos, uti capite primo libro 1 Italiae Antiquae ostendit P. Cluverius. Verum enimvero, datum hoc est à Romanis hominibus gloriae gentis suae, ut, quum Aborigenes, à freto Siculo atque extremo Italiae angulo profecti, Latium, pulsus inde Siculis, tenuerint, primos, non tantum Latium, sed omnem etiam Italiam majores suos incoluisse, praedicaverint posteri eorum Latini sive Romani. Populi Italiae indigenae tres tantum fuere, *Vmbri*, *Siculi*, & ingens illud *Aufonum* sive *Opicorum* corpus, unde tot alia propagata fuere nationum nomina. Reliquae gentes exterarum terrarum deprehenduntur fuisse coloniae. quod inde manifeste liquet, quod praedictae gentes propriam sibi quaeque ac peculiarem originem asseruerint: unde etiam sermo earum varius fuisse cognoscitur.

Ordo popu-
lorum Ita-
liae.

Sed & quo ordine, quibusque tractibus, sub Imperio maxime Romano, ac primis duodecim Imperatoribus, singuli ejus populi habitaverint, operae pretium erit indicasse. Primi igitur fuere populi *Alpini*, in quibus praecipuae gentes istae: *Ligures*, in varia genera ac nomina divisi; quorum omnium regio Liguria: dein *Taurini*, *Salassi*, *Lepontii*, *Euganei*; mox *Rhaeti*; & ipsi in plura cognomenta distincti. Ultra hos Incoluerunt *Veneti*; quorum regio Venetia. Hinc *Carni*; ac proxime *Hystri*, ad Arsiam amnem, Italiae finem; quorum regio Histria. Liguribus simul & Taurinis, Salassis, Rhaetis atque Venetis contermina fuit Gallia Cisalpina; quae eadem & Togata, Circumpadana, & item Italia Gallica: cujus incolae Galli, Graecis *Γαλάται*, pluribus nationibus discreti. Praecipuarum nomina ista sunt: *Libicii*, *Laevi*, *Insubres*, *Orobii*, *Cenomanni*; omnes trans Padum: inter Padum autem & Apenninum montem *Amanes*, sive *Anamani*; dein *Boji*, & quondam *Lingones*; *Senonesque* apud Superum mare, ad *Aesim* usque flumen. Intra Apenninum apud mare Inferum, ad Tiberim usque amnem *Tusci*; iidem & *Etrusci*, & regio eorum Etruria. Iuxta hanc trans Tiberim ab utroque Apennini latere, inter Superum mare & Narem amnem, *Vmbri*; quorum ager *Vmbria*. Infra hanc *Sabini*. His porro simulque *Vmbri* continuabantur trans Apenninum *Picentes*, quorum regio Picenum, fere ad Aternum usque flumen, quod vulgo nunc accolis *Pescara*. Post Picenum sequebantur exiguae quidem gentes, at armis quondam maxime clarae: *Vestini*, *Marrucini*, *Peligni*, *Marsi*; dein *Equi*, iidem *Aequani*, *Aequiculae*, & *Aequiculani* dicti. Sub his atque Sabinis fuere *prisci Latini*, apud mare Inferum: quorum terra Priscum Latium: cujus ultimam partem tenuerunt *Rutili*, membrum quondam Latini corporis. ultra hos fuere *Volsci*, ad Tarracinam usque oppidum: hinc veterum *Aufonum* exiguae reliquiae ad usque *Sinuessam* op-

pidum & montem Massicum, vulgo nunc *monte Dragone* appellatum. Supra Volcos fuere *Hernici*. At sub Imperatoribus Romanis in Latinarum nomen receptis etiam *Aequis* & *Hernicis* ac *Volcis Aufonibusque*, Novi Latii fines fuere à Tiberi ad Massicum montem. Huic contermina fuit Campania, cujus incolae *Campani*, ad Minervae usque promontorium, quod & *Surrentium*. Inde sequebantur in eodem littore *Picentini*, ad Silarum usque amnem. Novo Latio supra Campaniam atque Picentinos continuabantur *Samnites*, quorum regio Samnium, quondam ad Aufidum usque amnem, qui vulgo nunc est *Ofanto*. Sed pars horum postea juxta Picentinos *Hirpini* dicti fuere. Supra Samnites atque Hirpinos apud Superum mare, inter Pelignos & *Frentonem* amnem, qui vulgo nunc est *Fortore*, tenuere *Frentani*. His cotermini fuere *Apuli*, Graecis *Iapyges* appellati, in 3 genera distributi, quorum nomina *Dauni*, *Peucetii*, & *Messapii*. Univerforum regio dicebatur incolis Apulia, Graecis *Iapygia*: singulorum vero agri, Apulia Daunia, Apulia Peucetia, Apulia Messapia. Sed postquam Messapia in Calabrorum Salentinorumque nomina transiit, Apulia proprie sub Romano imperio dicta est reliqua universae pars. Calabrorum terra vocabatur Calabria, apud mare Adriaticum, cujus praecipuae urbes *Brundisium* & *Hydruntum*, vulgo nunc vocantur *Brundisi* & *Otranto*. Porro Apulia simul & Hirpinis Picentisque contermini erant *Lucani* & *Lucania*, apud utrumque mare, hinc ad *Laum* usque amnem, inde ad *Sybarim* fluvium; quorum hic nunc *Cocile* accolis, ille *Laino* vocatur. Hinc ultimum Italiae angulum ad fretum usque Siculum habuere *Bruttii*. Atque hi fere fuerunt, maxime sub Romano imperio, ac primis duodecim Imperatoribus, Italiae populi. quippe proximi hinc Principes, non tantum linguae Latinae rituumque ac munitiorum in Republica Romana, sed & limitum per omnes propemodum Imperii provincias miram una cum peregrina suae gentis stirpe invexerunt mutationem. Ac tandem, postquam Imperii Romani dignitas atque sedes in Germaniam translata est, Italia varia ab aliis atque aliis divexata, atque in varios titulos atque dominia discerpta est, uti paulo post dicendum. Nunc indolem gentium, moresque Italarum describere animus est.

Quum sua cuique genti, pro soli ac caeli diversitate, sit indoles ac genius, sui quoque mores, ac peculiaris vivendi ratio; quomodo haec in Italis habeant, considerandum. Sunt autem Itali comes, convictu faciles, in colloquiis urbani & faceti: foelici foecundoque nati ingenio: supra modum sagaces sunt & in excogitando prompti: docilitate ad percipienda litterarum studia artesque varias praestant incredibili: honoris gloriaeque ab omni aeo sitientissimi, laudisque praeter alios appetentes. Cum lacte voluptatem imbibunt, proniores in mollitiem, in Venerem

Indoles &
Mores Ita-
lorum.